

- 1529 avito imperio retento , in gratiam rediret , summopere optabat ; nihilque Senatu inconsulto aggredi poterat . Marco Antonio Venerio significavit , cupere se legatum ad Cæsarem mittere , ut illius animum leniret , bellicumque apparatum , quo se petitum iri fama ferebatur , remoraretur : id in primis illum decere , quod Cæsaris beneficiarius , ejusque vicem obtinens in Insubribus esset : eadem ab illius oratore Senatui significata . Neque impellere , neque adhortari Sfortiam placuit : quid sibi magis conducere videretur , id efficeret , permisum ; adjectum , certo sibi Senatum suadere ; nisi se conscio , & consiliorum participe , cum Imperatore pacem non conjecturum . Negotium illud Caracciolo Protonotario , & Garziæ e Padilia a Cæsare datum erat ; qui cum saepius Sfortiam adiissent , ut Ticinum , atque Alexandriam Cæsari traderet , hortabantur . Renuit Sfortia ; neque se hujusmodi postulatis unquam ad sensurum constanter affirmavit : eoque responso per oratorem Senatui communicato , ut firmioribus subfidiis urbes firmarentur ; bellicæ machinæ mitterentur ; pecunia suppeditaretur , petebat . Urbinati Imperatori datae literæ , quibus Sfortiæ opem ferri , ac veluti de Reipublicæ urbibus ageretur , quæcumque ad eas conservandas opportuna forent , subministraret , jubebatur . Decem præterea aureorum millia Senatus decreto Sfortiæ legatis numerata sunt . Ferrariensis quoque Dux in ancipiis versabatur , ob Regium , ac Mutinam , ad quas uti Pontificiæ ditiosis urbes superiores Pontifices , & Clemens ipse adspiraverat . Itaque his Marco Antonio Venerio significatis , nihil , ut hostes arceret , omisurum , disertis verbis , Senatui nunciaret , petiit ; præterea sibi a Republica duodecim instructa minor navigia , quibus Padum , ripasque hinc inde tueri posset , darentur . Clodiæ magistratui , ut quamprimum instructa ad Ducem mitteret , præceptum : insuper illius animus in libertatem , ac dignitatem Italicam egregius commendatus : summa inter illum , ac Mediolani Ducem benevolentia , arcta que animorum , & virium coniunctione opus esse : Rempublicam utrisque accessuram ; periculis minime cedendum , non abjiciendos animos , sed potius assumendas vires , atque in mutuam defensionem acuendas . Si Cæsar , justis , honestisque pacis conditionibus rejectis , armis lacefferet , & in nostram perniciem hoc quid-

*Caracciolo  
& Garzia  
e Padilia  
provincia  
de Sfortiæ  
rebus cō-  
ponendis a  
Cæsare de-  
mandata ,  
& eorum pe-  
titiones .*

*Mandata  
Senatus ad  
Urbinatem ,  
ut Sfortiæ  
givet .*